



S. L. Pablo de Burgos Jordan
a Dofas Junta 1653

1653



ACTA
CONGREGATIONIS
PROVINCIAE HISPANIAE ORDINIS
Prædicatorum, celebratæ in Cõuentu San-
cti Dominici Benauentani Dominica
Deus qui errantibus, die 4. Maij. Anni
Domini 1653.


*SVB R. A. P. N. Fr. EVGENIO
Jordan Magistro, Provinciali eius-
dem Provincia.*




VALLIS-OLETI.
Ex Typographia Bartholomæi Portoles,
Anno 1653.

ACTA
CONGREGATIONIS
PROVINCIAE HISPANICAE ORDINIS
PREDICATORUM, CELEBRATAE IN CANTUARUM
S. DOMINICI BONAVENTURAE DOMINICAE
CONGREGATIONIBUS, DIE 4. MAII. ANNI
DOMINI 1673.

SVB R. A. P. N. F. EVGENIO
JORDAN MAGISTRO PROVINCIAE
HISPANICAE.



VALLIS OLETI.
EX TYPOGRAPHIA BAMBOLANZI PORTUGALIS.
ANNO 1673.



HAEC SVNT ACTA

CONGREGATIONIS PROVINCIÆ
 Hispaniæ Ordinis Prædicatorum celebratę,
 in Conuentu Sancti Dominici Benauentani
 Dominica *Deus qui errantibus*, die quarta
 Maij, Anni Domini 1653. Sub R. A. P. N. Fr.
 Eugenio Iordan Magistro Prouinciali eius-
 dem Prouinciæ. Diffinientibus RR. A. PP.
 NN. Fr. Ioanne Escudero Magistro, Priore
 Sanctæ Mariæ de Atocha, Fr. Francisco de
 Tapia Magistro, Calificatore Sancti Offi-
 cij, Fratre Thoma de San Vicente Magistro
 Priore Sancti Dominici Benauentani, Fra-
 tre Ildephonso Gallego Magistro Califica-
 tore Sancti Officij.

A 2

DE

DENUNTIATIONES.



Denuntiamus in hac nostra Congregatione lectum, & admissum fuisse edictum Sanctæ Inquisitionis, editum decima nona Octobris, Anni Domini 1633. & admonemus iterū, quod Priores, & Præsidentes Conuentuum, non tenentur illud notificare fratribus determinate Feria Sexta, post Octauas Assumptionis Beatissimæ Virginis, sed ex dispensatione Illustrissimi, & Reuerendissimi Archiepiscopi Damasceni, Inquisitoris Generalis Fr. Antonij de Sotomayor, nostræ Prouinciæ concessa, illud sufficere legere quoties in Capitulo, vel Refectorio Acta Capitulorū Prouincialium ordinationesque Conuentuum perlegūtur, pro ut alias denuntiatum fuit.

Item denuntiamus institutam denuo esse, ac dotatam tertiam lectionem, seu Cathedram Theologiæ moralis, in nostro Diffinitorio acceptata est, cum eisdem priuilegijs, & exemptionibus, quibus gaudent Cathedralici Vniuersitatum, & Lectores Theologiæ nostræ Prouinciæ.

Item denuntiamus electum fuisse in hac nostra Congregatione, in Diffinitorem Capituli Generalis proxime sequentis R. P. Fr. Gundisaluum de Arriaga Magistrum, Calificatorem Sancti Officij, & Priorem nostri Conuentus Sancti Pauli Burgensis.

ABSOLUTIONES.

Absoluimus omnes Supiores, & vicarios Conuentuum, non habentium Priores, exceptis Superioribus de Victoria, & Medina del Campo, propter instantes electiones, vsque ad præsentiam Prioris.

5

ACCEPTATIONES.

A Cceptamus Magisterium, R. P. Magistri Fratris Gasparis Ruiz Prioris Vallis-Oletani, & Calificatoris Sancti Officij, & Magisterium R. P. Magistri Fratris Joannis Sanchez, & Magisterium R. P. Magistri Fratris Martini Cabezon, Prioris Sancti Dominici de Victoria, & Calificatoris Sancti Officij. Et Præsentaturam R. P. Fratris Dominici Navarro Lectoris Theologiæ Sancti Petri Martyris Toletani. Et præsentaturâ R. P. Magistri Fratris Dominici de Albendea, Lectoris Theologiæ eiusdem Conuentus. Et Præsentaturam R. P. Fratris Ioannis Gonçalez de Ojeda, Lectoris Theologiæ Sancti Pauli Vallis-Oletani, & Calificatoris Sancti Officij. Et Præsentaturam R. P. Fratris Clementis Alvarez Magistri, Regentis Sanctæ Mariæ supèr Mineruam.

Et titulo Prædicationis, Præsentaturam R. P. Fratris Ildephonsi de la Madera Prædicatoris Generalis, & Præsentaturam, R. P. Fratris Thomæ de Herrera Prioris Sancti Dominici de Piedrahita, & Prædicatoris Generalis, & Præsentaturâ, R. P. Fr. Magistri Barnabe Gallego de Vera Prædicatoris Generalis. Et Præsentaturam R. P. Fratris Eugenij de Mora Passamontes, Rectoris Collegij Sancti Thomæ Complutensis, & Calificatoris Sancti Officij.

Et Prædicaturam Generalem Patris Fratris Hieronymi de Urbina, pro Conuentu de Villa-escussa.

Et Prædicaturam Generalem Patris Fratris Francisci Seuillano Præsentati, & Procuratoris Generalis pro Conuentu de Trugillo.

Et Prædicaturam Generalem Patris Fr. Christophori de la Torre Præsentati, pro Conuentu de Salamanca.

Creamus in Prædicatores Generales R.R. PP. Fratrem Ioannem Mendez Priorem Sancti Dominici de Leon, pro Conuentu de Obiedo. Fratrem Thomam de Balboa Priorem Sancti Dominici de Astorga, pro eodem Conuentu.

Fratrem Bernardum de Piña Prædicatorem Sancti Dominici de Benauente, pro Conuentu de Toledo.

Fratrem Ildephonsum de Paz, pro Conuentu de Atocha.

Fratrem Thomam de los Rios, Supriorem Sancti Stephani Salmanticensis, pro Conuentu de Palencia.

Fratrem Ferdinandum de Espinosa, pro Conuentu de Cuenca.

Et Fratrem Ioannem Lopez de Prado, pro Conuentu de Yepes, propter dimissionem Prædicaturæ Generalis à R. P. Magistro fratre Ioanne de Soffa factam, & in hoc nostro Diffinitorio acceptatam.

AD MONITIONES.

Admonemus, quod nullus frater habeat pecunias, vel aliquid præciosum, apud sæculares personas absque licencia sui Prælati, vel alias quomodolibet absconditum, etiam in domibus nostris, quidquid autem contra hanc admonitionem habuerit, ex nunc, pro tunc applicamus communitati, etiam in foro consciëntiæ, & iuxta votum paupertatis secundum modum distributionis bonorum defunctorum.

Item admonemus, (quod iam sæpius admonitum est) Collegio videlicet Sancti Thomæ Complutensis subueniendum esse, sicut hucusque pro quolibet huius nostræ Prouinciæ Conuentus vnâ Missam, sibi designatam in qualibet hebdomada celebret pro præfato Collegio, quas omnes ex

nunc

nunc pro tunc, pro eodem applicamus in solidum.

Præcepta ad omnes, & singulas personas.

Mandamus in virtute Spiritus Sancti, & sanctæ obedientiæ, & sub præcepto formali omnibus, & singulis fratribus huius nostræ Prouinciæ sequentia.

Primum: ne duo, vel plures Fratres Ordinis nostri simul in aliqua cella fratrum huius nostræ Prouinciæ coexistant. Excipimus cellas Priorum, & Magistrorum nouitiorum, pro sibi subditis: licebit autē ingredi cellas Magistrorū huius Prouinciæ, & eorum, qui Prouincialatus officio functi fuerint. Denuntiamus, quod cellæ fratrum, post notificationem assignationum ab illo Conuentu, quandiu in Conuentu commorantur; eodem prorsus præcepto tenentur, quo cellæ aliorum Conuentualium. Et simul declaramus, quod si ille, cuius cellā aliqui Fratres ingredi possunt, à Conuentu, vel loco, in quo Conuentus existit, absens fuerit; illā pro tunc non gaudere tali priuilegio, seu licentia. Poterunt autem Patres Priores, seu Conuentuum Præsidētes, cum sibi subditis dispensare, dummodo dispensatio non sit generalis, aut frequens: quæ post vltimum signum post completorium nullatenus fiat sine sufficienti causa, & pro qualibet vice; ab hoc vero præcepto, non excipiuntur cellæ Conuentuales, quando in eis contingat aliquem fratrem infirmari, nisi à Priore, vel Præsidente Conuentus esse cellas infirmariæ declaretur.

Secundum sub eodem præcepto mandamus ne quis Curiam Regiam ingrediatur, neque eius subvrbana, etiā causa suscipiendi sacros Ordines, absque licentia R. A. P. N. Prouincialis. Et sub eodem præcepto, nec non sub pœna excommunicationis maioris latę sententiæ ipso facto incurrenda vna hac pro trina canonica admonitione præmissa, ne quis in dicta Curia, aut eius subvrbanis, extra Conuentus nostri Ordinis, sine licentia expressa R. A. P. N. Prouincialis pernoctet,

De non ingrediē do cellas

De non ingrediē do Curia Regiam.

noſter, quod vt inſalibilius executioni mandetur, omnibus R. P. Prioribus, qui nunc, & pro tempore extiterint, in noſtro Conuentu Sanctæ Mariæ de Atocha, Sancti Thomæ Matritenſis, Hoſpitij, & Roſſarij, quorum conſcientias in diē Domini aggravantes. Præcipimus vt quemlibet fratrem cuiuſcumque ſtatus ſit, & conditionis, quem in prædicta Curia, aut in eius ſuburbanis, ſine ſotio diuagantem repererint, ſtatim apprehendant, & R. P. Priori noſtri Conuentus de Atocha tradant, qui eos tam in pane, & aqua, quam carcerali cuſtodia ſeuere puniat, declarantes omnes hoſpites cuiuſcumque conditionis ſint, ad ipſum Priorem, ſeu Præſidentem diſti hoſpitij pertinere, etiam quoad correctionem, & punitionem.

Tertium nequis adeat Monasteria Monialium, nec Beatarum, nec aliarum mulierum in vnum cōgregatarum, ſub obedientia viuentium, nec ad earum Eccleſias ad colloquendum cum ipſis, niſi de licentia Prioris pro qualibet vice, quæ licentia in alium diem translata non valeat, nec dari poſſit à Superioribus, nec Vicarijs, Prioribus in oppido exiſtentibus.

Quartum (vt libertati electionum conſolamur iuxta decreta ſacrorum Canonum, & ordinationum Reuerendiſſimi P. N. Generalis Fratri Thomæ Turco) præcipimus ſub eodem præcepto omnibus fratribus noſtræ Prouinciæ, ne aliquis tractet, nec ſe intromittat, in electione Prioris alicuius Conuentus verbo, aut ſcripto, per ſe, vel per alios, etiam ſi ſit Prior eiufdem Conuentus, in quo electio eſt faciendæ, & vocem habuerit, in electione vſque dum officium ſuum perfecerit. Et ſub eodem præcepto mādamus nequis ſuffragium ſuum offerat, nec R. A. P. N. Prouinciali, nec alicui alteri, tam pro electione Prioris Prouincialis, quam Priorum Conuentualium.

Quintum. Præcipimus in virtute Spiritus Sancti, & Sanctæ obedientiæ, & ſub præcepto formali omnibus fratribus noſtræ Prouinciæ, nequis obligationem Miſſarum aſſumat,

vltia

*De non
aducando
Mona-
ſteria mo-
nialium.*

*De non
tractando
de electio-
ne Prio-
ris alte-
rius Con-
uentus.*

*De nullo
ro Miſſa-
rum.*

ultra quinquaginta, ita vt nunquam subiaceat obligationi ad maiorem numerum, & quicquid supra talem numerum receperint, pro obligatione Missarum, ex nunc pro tunc applicantur communicati in qua habitat, etiã in foro interiori, iuxta votum paupertatis, & tunc Conuentus tenebitur illas celebrare recepto stipendio.

Sexto sub eodem præcepto, mandamus omnibus PP. Prioribus, seu Præfidentibus Conuentuum, & Depositarijs quod sextam partem bonorum fratris defuncti, remittant in fallibiliter ad Patres, à R. A. P. N. Prouinciali designandos. Tandem præcipimus in virtute Spiritus Sancti, & sanctæ obedientiæ, & sub præcepto formali omnibus, & singulis nostræ Prouinciæ fratribus, ac sororibus, nè verbo, aut scripto, circa materiam Conceptionis Beatissimæ Virginis MARIÆ, apud personas extra ordinem nostrum constitutas aliquid proferant, quod vel leuissime earum pietatem & deuotionem erga sanctissimam Virginem impedire possit, sed ad vnguem decreta Summorum Pontificum in silentio seruando, etiam à non prohibitis circa nostræ sententiæ probabilitatem penitus abstineant, nè ex inordinata, aut minus prudenti locutione summatur occasio turbationis, & scâdali, sed potius ex religioso silentio, ex verborum, & actionum modestia, reuerentia Religionis, & fidelium ædificatio consequatur: quod si quis huius præcepti violator extiterit penæ grauioris culpæ, etiam quoad pœnas priuatiuas, & infamiam subiaceat, & simili pœna plectatur quicumque huius legis fractionem cognouerit, & statim non renunciauerit R. A. P. N. Prouinciali.

PRÆCEPTA PARTICVLARIA AD
Speciales personas.

P Ræcipimus in virtute Spiritus Sancti, & sanctæ obedientiæ, & sub præcepto formali sequentia.

Primum, quod fratres depositati in hac nostra Prouincia,

De remissione sextas partes defunctorum.

Fratres de-

*deposita-
ri ad quid
teneantur.*

cia, siue in aliquo ipsius Conuentu (modo sint ex nostra, modo ex aliena Prouincia) teneantur ad omnia præcepta tam Prouinciæ, quam Conuentuum, in quibus sunt depositari, & pro his teneantur tot Missas dicere, ac cæteri assignati, hebdomadam facere, & omnia alia officia exercere, ac si vere essent assignati; declarantes, quod depositari in nostra Prouincia, non habent vocem in electione Conuentuum in quibus sunt depositari.

*De reformatione
studiorum*

Secundum, sub eodẽ præcepto formali mandamus omnibus fratribus, Conuentuum studiorum, ad quos quomolibet studium attinet, vt nullo modo omittantur in diebus lectiuis lectiones, conferentiæ, aut conclusiones, nec hora consueta earum mutetur, nec in illis dentur recreationes, præterquam in vigilia actus maioris, & die immediatè sequenti, & in eadẽ hebdomada alio die, non vacent ab exercitio studiorum, vllò alio titulo, nec in alia hebdomada concedatur licentia exeundi à Conuentu recreationis causa, titulo actus maioris, nisi sit dies assuetus, vel festiuus. Et in octauis Natiuitatis Domini, Resurrectionis, Penthecostes, octauoque die solemnitatis Corporis Christi; & in recreationibus octo dierum ante aduentum, & quadragesimam consuetis, aut si forte hora conclusionis, conferentiæ, aut lectionis, specialis occurrat pro toto Conuentu occupatio, & nomine dierum lectiuorum intelligimus eos in quibus (iuxta disponendum inferius) Patres Lectores non tenentur matutinis interesse, & qui ex præcepto non seruantur à Populo, quod si nulla die alicuius hebdomadæ ab exercitio studiorum vacauerint fratres, in conclusione, & conferentijs cum eis eiusdem hebdomadæ Feria quinta dispensamus, obsecramusque R. A. P. N. Prouincialem, vt nullatenus alicui concedat facultatem in isto præcepto dispensandi.

ORDI-

ORDINATIONES.

Ordinamus (quod alias preceptum est) ut bona fratrum defunctorum, ante eorum distributionem a presidente Conuentus, duobusque depositarijs, aut grauioribus Patribus, fideliter omnia, & singula in scriptis numerentur (vna tantum excepta veste) & sic enumerata, in tres aequales partes diuidantur, quarum vna sit integre pro anima defuncti, & huius dispositio ad Conuentus per aequales spectabit, ad quos, & defunctus pertinebat, si ueritate assignationis, siue filiationis, siue Prioratus, duae uero aliae partes aequaliter spectabunt ad Conuentum cuius erat filius, & in quo erat assignatus, praesidens autem Conuentus in quo frater obiit nullo modo disponat de parte ad alium Conuentum attinente, usque dum adsit dispositio, & notitia praesidentis illius Conuentus ad quem illa pars attinet, quod si Religiosus non habuerit bona, dicantur pro eo, quam primum quinquaginta Missae in solidum.

Item ordinamus, sub poena quindecim dierum in pane, & aqua (quam Praelatus teneatur infligere sub poena suspensionis a suo officio) ne ullus frater pernoctet extra Conuentum in locis, ubi Conuentum habemus.

Item ordinamus, & praecipimus omnibus Prioribus, & Conuentuum Praesidentibus, ne fratribus licentiam itinerandi concedant ultra spatium quatuordecim leucarum, quod & in constitutionibus cautum est.

Item ordinamus, ut seruetur decretum de loco sotij R. A. P. N. Prouincialis, ut hucusque seruatum est.

Item ordinamus, quod Confessores, & Procuratores monialium tres Missas celebrent, pro Monasteriorum obligationibus, quas si Monasteria non habuerint, eas pro intentione R. A. P. N. Prouincialis celebrent, si uero Conuentus, tot obligationes habuerint, vniam (ad minus) qualibet Septi-

Quomodo distribuuntur bona defunctorum

Depernoctando extra Conuentum Delicentis itinerandi.

De loco sotij. Confessores, & Procuratores monialium

quot missas celebrabunt. mana Missam dicant, pro intentione R. A. P. N. Prouincialis, ex his quæ personaliter ad eos pertinent, quam Missam ex nunc pro tunc in foro conscientie in solidum applicabunt.

De abstinentia à carnibus Item ordinamus, & Prioribus, aut Præfidentibus Conuentuum, sub pœna abolitionis à suis officijs præcipimus, vt nulli carniū esum concedant, nisi in die Dominica, Feria Tertia, & Quinta duntaxat, cum aliquibus dispensetur, dimidia saltim parte remanente in Refectorio, in cœna vtro nullus permittatur esus carniū, nec fiant Prioribus cœniua, nisi vrgenti causa, & cum moderatione Religiosa, in hospitio autem silentium infallibiliter obseruetur.

Licentia assignationes, quando sunt notificandæ. Item ordinamus, vt institutiones, assignationes, licentia, & depositiones, quæ intra duos menses à die concessionis notificatæ non fuerint, ipso facto sint nullæ, solumque notificentur à Præsidente Conuentus, aut de eius licentia, nisi cum frater in via illam receperit.

Magistri Nouitiorum, non tenentur ad hebdomada. Item ordinamus, quod Magistri Nouitiorum, nec hebdomadam faciant, nec ad illam notentur, & quod locum obtineant immediatum post huius Prouincie Præsidentis, in domibus quibus R. A. P. Nostro Prouinciali visum fuerit. Nullus autem deinceps fiat Nouitiorum Magister in consulto R. A. P. Nostro Prouinciali, qui de consilio Patrum, & Religione præstantium, omnes Magistros Nouitiorum approbet assumptos. Et ex his quicumque tale officium laudabiliter iudicio R. A. P. N. Prouincialis exercuerint, in perpetuum paternitatis gaudeant titulo.

De depositarijs faciendis. Item ordinamus, ne fiant Depositarij alicuius Conuentus, nisi de assensu ipsius, in publico Capitulo, à quo officio, nequeant admoueri, nisi de consilio Patrum, quod si contingat Priorem ex dictis aliquem assignare velle, teneatur prius R. A. P. N. Prouinciali manifestare, assignandum officio fungi depositarij vasis Conuentus.

Priores Item ordinamus, & mandamus PP. Prioribus sub pœ-

ma absolutiois ab officio infallibiliter intelligenda, vt librum Procuratoris, seu communium expensarum Cōuentus apud se non retineant, nec manu propria in eo, quid conscribant, perse ipsos Procuratoris officium exercentes, nisi corā depositarijs, alijs ve duobus fratribus in eorum absentia ratio- cinia faciant.

non ba-
beant a-
pud librā
Procura-
toris.

Item ordinamus, iuxta decretum Reuerendissimi P.N. Generalis, vt singulis diebus post completorium, omnes fratres, & sorores recitēt alta voce, & deuote per choros al- ternando, tertiam partem Rosarij Beatissimę Virginis se- cundum ordinem mysteriorum.

De Rosa-
rii recita-
do.

Item ordinamus, vt fratres ad audiendas confessiones, & contionandam exponi non possint, nisi in studijs Ge- neralibus, inter quę, Pampilonensem Vniuersitatem volu- mus compræhendi, & non approbētur, nisi adsit saltem vnus ex Theologię Lectoribus, & solum per triennium, quo ex- plecto iterum examinentur, excipimus Lectores Arrium, ca- suumque conscientię, qui per quatuor annos completos, ta- le officium compleuerint, & eos qui per nouem annos licē- tias, seu expositiones habuerint, quibus concedimus, vt post nouem annos decursos quibus gauissi approbatione fuerint, queant simpliciter exponi. Quod si quispiam in aliquo Cō- uentu examinatus reprobatus fuerit, nec examinetur, nec examinatus approbari queat, nisi transactis sex mensibus, quod si contrarium fecerint (vt subreptitiam) expositionem nullam reddimus, & inanem, & vt tutius consulatur con- scientię, & ministerio prædicti examinatore scitiorum red- dant Priorem Conuentus de examine, & reprobatione sui subditi, eorum conscientias in diem Domini aggrabantes, iniungimus vt examen cum summa rectitudine peragant.

De exa-
mine Con-
fessorū

Item ordinamus, quod in receptione Nouitiorum ad habitum, & professionem vota fratrum per Schedulas, vel fauas admittantur, & regulentur a Prælato, cum assistentia duorum antiquorum Patrum in Capitulo assistentium, &

De mo-
do reci-
piēdi no-
uitios.

in

in **Consensu Monialium, cum assistentia Vicarij, vel Confessoris, ubi non fuerit Vicarius, & Schedulae regulentur coram Priorissa, & Superiorissa, & in earum defectu coram duabus sororibus ex antiquioribus Conuentus.**

Item ordinamus, quod **Supriores in sede vacante, vel quacumque Priorum absentia, non applicent sibi plures Missas, quam quae eis communiter conferuntur.**

Item ordinamus (ut ambitionis via omnino à fratribus recludatur) quod nullus pro se memorialia exhibeat nostris Capitulis, & Diffinitoribus, quod si merita, & obsequia praestita in sui fauorem quocumque praetextu commédauerint, tanquam indigni, & ambitiosi ad honorem intentum, non admittantur, & insuper poenis alijs ad arbitrium P. A. P. N. Prouincialis puniantur.

Item ordinamus, huius Nostrae Prouinciae **Lectoribus, & Praedicatoribus, ut in maioribus Ecclesiae solemnitatibus in omnibus festis Beatissimae Virginis Mariae, Sanctorum Apostolorum, Euangelistarum, quatuorque Ecclesiae Doctorum, & Sanctorum nostri Ordinis matutinis Missaeque maiori omnino intersint, & quod ab studijs non vacent, quando praedictae solemnitates in diebus proprijs non celebrantur, exceptis festis, anuntiationis, & Sancti Thomae Aquinatis, & Praelati summo opere inuigilent in obseruantia huius ordinationis, sicut etiam in assistentia fratrum ad completorium in Salue Regina, & tertiam partem Rosarij, nullum abusum permittentes, neque dispensationem concedentes absque legitima causa; nec Lectores Artium, qui cursum suae lectionis peregerunt dispensare possint Patres Priores ab assistentia chori post primum suae vacaturae annum completum, nisi de licentia R. A. P. N. Prouincialis.**

Item ordinamus, quod **Patres Lectores Theologiae huius nostrae Prouinciae, Euangelium cantent ad Altare ministrando Priori in festis Paschalibus, Magistri vero studentium, & Lectores Artium ministrent Altari in festis solemnibus**

nibus iuxta arbitrium Prioris, versiculosque, & responsoria dicant cum quolibet fratre respondente sibi, secundum ordinem antiquitatis.

Item ordinamus, stricte custodiri ordinationem Reverendissimi P. N. G. F. Thomæ Turco circa studium, & studentes, & circa scripta, & dictata Lectorum, ita vt in studijs generalibus quotannis in biblioteca communi reposita maneant, quod Patres Priores infallibiliter perse ipsos exequi faciant expensis Conuentus sub pœna suspensionis ab officio per sex menses, nec inde extrahantur, nisi de licentia R. A. N. P. cum consilio Patrum Conuentus, & quod R. A. P. N. Prouincialis in visitationibus Conuentuum accurate discquirat de sufficientia, & assistentia Lectorum, & quos negligentes, vel minus idoneos reperit infallibiliter absoluat ab officio lecture, necnon & studentes ineptos à studijs amoueat, & in præcipuis huius nostræ Prouinciæ Conuentibus ocupentur in officijs fratrum conuersorum etiam humilium, quibus tamẽ per duos integros annos exercitia studiorum permittantur, vt de eorum ignauia manifestius innotescat quibus peractis, si omninò inhabiles inueniãtur repellantur ab studijs, sine recurſu spe vltèrius redeũdi in quo R. A. P. N. Prouincialis conscientiam in diẽ Domini agrabamus, obsecrantes vt nullius petitionis interuentu huic nostri ordinationi cædat. Præcipimus omnibus R. P. Prioribus Conuentuum studiorum, nè in diebus lætiuis Lectores, nec studentes extra Conuentuum exire permittant, nec etiam prætextu audiẽdi confessiones, nisi grauis vrgeat necessitas.

Circa studia, & Studētes

Item ordinamus, vt summa cura adhibeatur circa receptionem Nouitiorum, ac habitum, & professionem, nè inepti, & minus habiles, cum magno religionis dispendio dimittantur, vt scilicet examen ipsorum fiat à tribus PP. examinatoribus iuxta normam nostrarum constitutionũ simul existentibus in præsentia Prioris, seu Præsidentis Cõuentus.

Circa receptionẽ Nouitiorum

Item

Circa comedias. Item ordinamus, ne quis representationibus seu comedijs, quæ à publicis his trionibus (qui hoc ex officio habent) fiunt, interfint, nisi in capitulis Ecclesiarum in domibus Episcoporum, aut publicis sanctorum solemnitatibus, & quod Prelati, seu Conuentuum præfidentes comedias in domibus nostris fieri, non permittant etiam sponte oblatas. Nec fratres eas representent, aut vllopaâo vestibus vtatur secularibus. Admonentes omnes P. Priores, seu Præsidentes Conuentuum, qui in hoc negligentes fuerint ab officio absoluedos fore, quæ ordinatio eodem modo sub eadem pœna comprehendit moniales.

Fratres alienæ Prouinciæ, siue deposita si. Item ordinamus, vt nullus frater alienæ Prouinciæ in nostra existens, siue de nouo adueniens assignetur, sed tâtù depositatus maneat, vndè tenore præsentium ex nunc pro tunc reuocamus omnes prædictos fratres cuiusuis sint Prouinciæ ab huius nostræ cuiuslibet Conuētibus in quibus fuerint assignati, & in eisdem depositamus, qui omnino seruabunt leges depositatorum superius sancitas.

Magistri sunt regentes. Item ordinamus, & declaramus, vt in Conuentibus vbi plures adsunt Magistri antiquior eorum sit regens, eo tamè à gymnasio absente Magister, qui succedit, & sic successiue, alij iuxta suorum antiquitatem graduum: vbi tamen vnus tantum adest, ipso facto sit regens, non obstante quacumque consuetudine, seu potius corruptela in contrarium.

Cathedra vniuersitatis. Item ordinamus, quod Cathedratici Artium, & sacre Theologiæ Vniuersitatum omnibus gaudeant priuilegijs quibus gaudere solent huius Prouinciæ Lectores.

De monialibus sub cura magistrorum. Item ordinamus, quod moniales nostræ ad minus per tres annos suæ professionis sub cura Magistræ nouitiarû persistant, neque nisi ad Patres, & cognatos visitandos exeant, nec à Prioribus, cum eis nullo modo dispensentur.

De excessibus suis. Item quia frequenter ad Nos, tum parentum, & propinquorum secularium, tum ipsarum communitatum, tum præcipue Catholicæ Maiestatis Regis nostri eiusque Senatus

ius de Regni statu quæ rellè perueniunt de excessibus Religio-
 sarum sumptibus in suorū officiorum ministerio ordi-
 natus, & in merito sancte obedientiæ, mandamus, quod à
 prædictis totaliter abstineant, & solum in pertinentibus ad
 communitatem, & præcipuè necessarijs aliquos religiosos,
 & moderatos sumptus facere possint de cuius executione,
 & obseruantia diligenter Inquisitionem in visitationibus R.
 A. P. N. Prouincialis adhibeat, & in hoc excedentes seue-
 re puniat, declarantes quod licentia ultra precise necessa-
 rios sumptus à nullo concedi possit, nisi à R. A. P. N. Pro-
 uinciali.

Item ordinamus, quod Vicarij, aut confessores monia-
 lium vulgari lingua traducant omnia, quæ ex his ordinatio-
 nibus ad eas quomodolibet expectant; & sorores legere te-
 neantur coram toto Conuentu diebus quibus, per leguntur
 ordinationes aliorum Conuentuum.

Item ordinamus, quod confessores, & Procuratores
 monialium earum non ingrediantur Monasteria, nisi vrgē-
 te causa ministrandi Sacramenta, & de licentia Vicarij il-
 lius Conuentus, quod si non sit Vicarius, duo ingrediantur
 simul, & si adfit tantum vnus associetur Priorisa, aut Suprio-
 risa sub pœna absolutionis à suis officijs, & districte præci-
 pimus omnibus Priorisiss, & earū Vicarijs, vt accuratè inui-
 gilent de clausura conseruanda, ita vt nulla prætextu ingre-
 sus cuiusvis personæ permittat, simulque iniungimus vt
 quilibet litteras Apostolicas obtentas iam, siue obtinendas
 à quacumque persona cuiusvis qualitatis, aut sexus pro Mo-
 nasteriorum ingressu R. A. P. N. Prouinciali mittant, de-
 clarantes ipsum precise esse prælatum proprium ad què de-
 stinantur tales litteræ.

Item ordinamus, quod infallibiliter obseruetur ordi-
 natio R. P. N. G. fr. Thomæ Turco circa Priores inhabiles,
 obsecrantes R. A. P. N. Prouinciatem, quod tam Priores,
 quam Supriores qui lincis ad carnes vrantur à suis officijs

*siuis sum-
 ptibus
 monialitè*

*Vicarij
 monia-
 litè tras-
 bant or-
 dinatio-
 nes.*

*De ingre-
 su Vica-
 riorū in
 Monas-
 terijs mo-
 nialium*

*Circa
 Priores
 inhabi-
 les.*

absoluat, & alios fratres in hac sacra constitutione deficientes seuerè puniat.

*Circa deuotione
sanctissimi
rosarij.*

Item ordinamus, quod Prædicatores magnam adhibeant curam in promouenda deuotione Beatissimæ Virginis Mariæ, proponendo regulariter in omnibus concionibusque habentur in omnibus Conuentibus Ordinis nostri, tam virorum, quam mulierum aliquod exemplum, seu miraculū sacratissimi Rosarij, quod infallibiliter exequatur sub pœna absolutionis à suis officijs, & Patres Priores quotannis visitent, & promoueat sodalitates sanctissimi Rosarij, & ubi sitæ non fuerint denuo fundent sub pœna suspensionis à suis officijs per sex menses.

*Circa ordinationes
Conuentuum.*

Item ordinamus, & præcipimus, vt ordinationes Conuentuum factæ in visitationibus obseruentur, quas ex nunc prout confirmamus ordinationes, vt ordinationes, præcepta vt præcepta.

*Circa subsidia
contribu-
tiones.*

Ordinamus insuper, & vt Prouinciæ sumptus minuantur, præcipimus in virtute Spiritus Sancti, & sanctæ obediencie, necnon sub pœna excommunicationis maioris latæ sententiæ ipso facto incurrenda vna hac pro trina canonica admonitione præmissa, omnibus Prioribus, seu præsidentibus Conuentuum, & etiam Vicarijs, & Procuratoribus monialium ac ipsis Prioris, quod pars cuiuslibet Conuentui pro subsidio, & contributionibus in specie, & quantitate pecuniæ designari solita infallibiliter soluatur mense Ianuarij anni Domini 1654. & 1655. & remittatur PP. Procuratoribus Generalibus Matrini, & Vallis-Oseleri.

Item sub eodem præcepto, & censura mandamus omnibus Prioribus, seu Præsidentibus Conuentuum, Procuratoribus, & Prioris monialium, quod si tota, vel aliqua pars pecuniæ illis consignata, tam pro subsidio, & contributionibus, quam pro noua impositione soluta non fuerit infallibiliter post mensem à noticia præsentium remittatur eisdem PP. Procuratoribus Generalibus.

Item ordinamus, vt omnino obseruetur ordinatio de Consilij Scripturæ mandandis per notarium in quouis Conuentu deputatum.

Item ordinamus, & precipimus omnibus Prioribus, siue Conuentuum Præsidentibus, vt non permittant coram se titulo Reuerentiæ, aut Paternitatis aliquem nominare, nisi eos quibus debentur talis tituli, iuxta alias dispositum pœna suspensionis à suis officijs per duos menses.

Item ordinamus, sub pœna absolutionis à suis officijs infallibiliter infligenda PP. Prioribus, seu Conuentuum Præsidentibus, quod sextam partem bonorum cuiuslibet fratris defuncti remittant P. Fr. Ioanni Martinez Cote, in Conuentu Salmantino. P. Fr. Ioanni Lopez de Prado Prædicatori generali, in Conuentu Vallis-Olerano. Fratri Martino de Palacios, in Conuentu Sancti Thomæ Matritensis commorantibus, & inuentaria, & partitiones dictorum bonorum à seruentur in deposito communi, vt præsententur in visitationibus R. A. P. N. Prouinciali.

Item ordinamus, vt omnino obseruetur constitutio, quod fratres quouis anno semel saltem omnia Prælati manifestent, quæ ad vsum habent, & de scrutinio à Priore faciendo cum duobus grauioribus Patribus, & cõtinuo Priores inuigilent, vt forma, ac decencia status religiosi seruetur vniformiter ab omnibus fratribus nostræ Prouinciæ, tam in capitis tonsura, quam in materia, & forma vestium, tam exteriorum, quam interiorum; à quo maxime bonus odor religionis pender, & secularium edificatio; in quo si negligentes fuerint abusus permittendo, tam eos quam subditos transgressores senere puniat in visitationibus Conuentuum R. A. P. Prouincialis.

Insuper ordinamus, & mandamus pœna absolutionis à suis officijs tam Prioribus, quam Conuentuum Præsidentibus vt quotannis omnibus fratribus provideant de maxime necessarijs indumentis saltem de calceis, caligis, & tunice-

*De con-
silijs scri-
pturæ
mandan-
dis.*

*Titulus
Paterni-
tatis, aut
Reueren-
tiæ inter-
dicitur.*

*Cui re-
mittenda
sit sexta
pars bo-
norũ de-
functi.*

*De scruti-
nio à
Priore fa-
ciendo.*

*De ves-
tuario.*

lis lancis in propria specie, & non aliter.

Præcipimus vltèrius omnibus Sup prioribus sub pœna
absolutionis à suis officijs, vt has nostras ordinationes qua-
